

de seditione homines inopes cogitét . Postremò longè id quoq; præstiterit, principem impensis construere munimēta , vbi se suosq; incolumes seruet, quam subita hostium incursatione circumuentum, possessione tota exui: id quod nemo qui velt antillum mentis habeat, inficias iuerit. Porrò si & alii hic nobis ita obiicient, nihil opus esse, in muniendis vrbibus illa quæ à nobis describetur, murorum crassitie, ac vel minoribus impensis non minus valida munima posse confici, hos siquidem id quod verbis declamitant, re ipsa cōprobabunt, sequendos esse iubebimus. Verum equidē haud dubito affirmare, iis qui aduersus hostium metus, iniuriasq; satis se tutos esse volint, fortioribus, atq; à nobis describentur, munitionibus opus fore. Nihil enim præsenti bellorum facultati oppugnandiq; artibus ac viribus esse nimiū videri potest, cùm nihil non quantumvis munitum tormentorum ictibus sit penetrabile. Nemo tamen sic existimet, hunc scribendi laborem à nobis eò susceptum esse , vt excellentes architectos, quosq; ædificandi usus iam dudum sufficienter erudiuit, his præceptionibus instruamus: verūm vt eos , qui etsi in huiusmodi ædificandi ratione non satis instituti sunt, tamen præficiuntur alicubi operibus publicis struendis, benignè ad moneamus, quò in designandis futuri operis fundamentis, animo deliberato & exacto iudicio rem prius examinent, quam ipsi manus admoueant. Quanquam neq; hic velim ita quenquam mihi addici, vt meis potius rationibus parendum esse, quam suo obsequendum sibi iudicio, & arbitrio existimet . Aedificaturus itaq; ad vrbis tutelam propugnacula, sed^{ad} autē disponet notabitq; murorum ciuitatis interualla, vnde in hostiis commodissimè possit depugnari . Deinde si quidem pluribus mnnitib; erit opus, ex quibus mutuus tormentorū usus detur, ea maxime illa loca ex notatis interuallis diligentur , quæ omnium minimum obseruantur iaculis sint exposita . Verum ipsa munitio vel petræ vel argillos, cœtræ , aliive fundamento solido natura industriave ad resistendum comparato, superstruenda est. Ac ciuitatis fossa illa muro suffulta, quæ vallum prætercurrit, hactenus in sui fundo laxabitur, vt, quatenus id situs ratio, lociq; natura tulerit, inter ipsam & vallum relinquatur interuallum trecentos, vt minimum, pedes sua latitudine occupans: alta hæc ipsa quinquaginta pedibus efficitur. Cæterūm in hac fossa expedit & aliam similis formæ minorem ducere, latam octodecim, altam verò duodecim pedibus : quæ proximè ad vallum accedens, utrobiq; vrbani muri latus contingat, vt si quando in oppugnatione se hostes in maiorem fossam præcipitauerint, non statim ad bombardarum fenestras aditus liber cōcedatur. Vallum ipsum pro ciuitatis mœnibus iusto spatio in fossam procurret, veluti iam subsequitur. In tota autem operis structura, vel eius præcipua ratio habeatur, vt non solū à fronte & vtrinq;, sed pone quoque ex ipsis, quoad eius fieri poterit, defensionis usus præbeatur. Atq; in præfetia sermo est, de siccis ciuitatis fossis, vbi verò aquæ copia dabitur, præcipua cōmoditatis ratio putabitur.

Primò in fundamento depresso duabus lineis a.c. ptractis cōformabitur muri ciuitatis anguli facies , vbi munitio construēda est. Ac vbi lineæ illæ mutuo cōtactu